

PY. fac amabo. *CH.* non possum, inquam. *PY.* at tu
 apud nos hic mane
 dum redeat ipsa. *CH.* nil minus. *PY.* quor, mi Chremes? 535
 30 *CH.* malam rem hinc ibi? *PY.* si istuc ita certumst tibi,
 amabo ut illuc transeas ubi illast. *CH.* eo.
PY. abi, Dorias, cito hunc deduce ad militem.

AN. Heri aliquot adolescentuli coimus in Piraeo
 in hunc diem, ut de symbolis essemus. Chaeream ei rei 540
 praefecimus; dati anuli; locu' tempu' constitutumst.
 praeteriit tempu': quo in loco dictumst parati nil est;
 5 homo ipse nusquamst neque scio quid dicam aut quid
 coniectem.
 nunc mi hoc negoti ceteri dedere ut illum quaeram
 idque adeo visam si domist. quisnam hinc ab Thaide exit? 545
 is est an non est? ipse est. quid hoc hominist? qui hic
 ornatust?
 quid illud malist? nequeo satis mirari neque conicere;
 10 nisi, quidquid est, procul hinc lubet priu' quid sit sciscitari.

CH. Numquis hic est? nemo. numquis hinc me
 sequitur? nemo homost.
 iamne erumpere hoc licet mi gaudium? pro Iuppiter, 550